TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

VESICANTIBUS;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS CASEY,

Hibernus.

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO, APUD D. SCHAW ET FILIUM.

MDCCCXVIII.

VIRO

MAXIME VENERABILI ET DOCTISSIMO,

GULIELMO THOMSON,

DIACONO CORCAGIÆ PRIMARIO

SUMMA VENERANTIA

INSCRIPSIT,

T. C.

Pietatis meae esse duxi et observantiae qua tu semper mihi colendus es, ut haec cruda licet et indigesta, tui nominis auspicio tuter. Neque hoc quod amicitiâ tuâ, ista digna putarem; sed quod primitias diligentiae juvenilis tibi haud minus gratas fore, quam maturam tardioris forte aetatis messem, pro benevolentiâ tuâ, sperarem. Humile namque donum alacritas offerentis saepe commendare solet.

Diu vivas et valeas. Vitaeque paobae, doctrinae excultae, laudibus meritissimis fruaris!

/12

TENTAMEN INAUGURALE

DE

VESICANTIBUS.

A VETUSTISSIMIS usque temporibus medicamenta Epispastica ut vocantur, et Rubefacientia nonnullis in morbis adhibita fuerunt. Vel HIPPOCRATI Cantharidum usus internus haud ignotus, utpote qui aquae inter cutem, et menstruis aegrè respondentibus, praeciperet; an, vero, Cantharides *cuti* admotae essent ante Aretaeum, qui exulcerandi gratiâ utique has infricavit, minimè jam constat.

Etiamsi Epispastica, hisce temporibus in tantum evecta fuerunt, tam crebrò, tam variè, tam feliciter usurpentur, ut principem etiam utilissima inter remedia locum sibi jure vindicent;

usus, nihilominus, eorundem, commodaque exhibendi tempora et occasiones, nondum ea accuratione innotuit, quae ab experimentis tot saeculorum, sagacitate clarissimorum medicorum sperari licebat.

In haec autem ut facilius inquiremus, haud alienum erit mutationum quas in corpore vivo inducant naturam et momentum ante docuisse.

Emplastrum Epispasticum cuicunque parti admotum sic temperare possumus, ut pars sub ea rubescat tantum, aut vesiculis obsideatur, aut pus ipsum denique a vasis in cute effundat. Quod ad *Rubefacientia* attinet, Sinapis Alba aliaque plurima medicamenta Cantharidi multimodis ad id praestant; quoniam eosdem salubres edant effectus, saepe multo celeriùs, omnique careant metu molestiarum, quas illam aut comitari aut consequi subinde videmus. Quum vero vesiculas excitare consilium est, Cantharidibus nunc omnes ferè utuntur; alia enim acria quae idem efficerent admota, ulcerationes nimium profundas excitasse repererunt medici.

Epispasticum summae cuti applicatum, primo hujus vascula stimulat, in actionem ciet; unde latex serosus uberrimè profunditur, cuticulam in bullas plurimas a cute attollens, quae brevi in unam et ingentem vesicam confluunt: Haec ferro incisa cutem subter rubram et inflammatione obsessam, ostendit. Hujusmodi inflammatio in gangraenam usque nonnunquam praecipitatur, neque funestissimi eventus desunt exempla, apud Hoffmanum, Baglivium, aliosque. Mortonus * hoc creberrimè vetulis contingere docet; sed omni aetate, nonnullis corporis conditionibus, Emplastrum Epispasticum curam non levem sibi postulat: membris quidem aut resolutis aut aquae tumentibus; imbecillis, inque gangraenam pronioribus, hanc curationem prorsus inutilem fore ineptamque putato.

Neque parti cui superimponuntur cohibetur effectus Vesicantium. Quantum ad corporis evacuationem attinet ultra partem equidem non vagantur; at latex utcunque parcus, pro ratione totius humoris circulantis qui inde fertur,

* Exercit. II. cap. 7.

sufficit nihilominus, et congestionem partium vicinarum, et inflammationem, sublevare. Eorundem stimulatio universum super corpus operatur, totiusque compaginis efficaciam concitat, totius sanguinis circuitûs vigorem evocat. Baglivius praeclarè haec verba fecit; "Movent "vesicatoria, contrahunt, concutiunt *totum cor-* "*pus*, atque ut fluida, ita solida, una eodem- "que tempore excitant et dimovent *." Huxham porro "Cantharidum actio non cutem "tantummodò, sed universum genus nervorum "et vasculorum agitat." Atque rem ultra corroborare, sententias Friendii, Willisii, Boerhaavii, Van Swieten prolaturus essem, ni quotidiana omnium observatio testimonium longè firmius prestaret.

Inter effectus cantharides, ut vesicas excitent exhibitas, nonnunquam comitatos, recenseantur vomitus, sitis ingens, tremores, nec raro convulsiones. "Faciunt per se," inquit Boerhaavius, "febrem, anxietates, halitum cadave- "rosum, urinam foetidam et acrem, sanguinem

* Opera, fol. 64.

" in acre putrefaciens solutum." Commentator ejusdem eruditissimus adjecit, " Imprudenter applicatae corpori, febrem, sitim, calorem urentem, halitum cadaverosum faciunt *." De Haen † foeminam narrat, cui, ex emplastro superinjecto alvus aeruginosa, sanguinolenta descendit; neque multum quod Baglivius ‡ memoriae tradidit absimile, ubi sanguinis per alvum profluvium, citoque mors ipsa parilem curationem sequebatur.

Cantharidum tamen effectus notabiliores, itemque crebriores et molestiores hi sunt, quos etiam extrinsicùs admotae in lotii itinera inducunt; stranguria, nempè, ardoris sensus, mictuритio frequens, dolorifica, sanguinea, Ischuria, dolores vesicae cruciantes. Auctor est Fabricius ab Aquapendente plures ab urina suppressa mortuos esse, vesicatoriis nimirum cruribus et brachiis admotis. Omnia haec sinistra eveniunt si Baglivio credas, " praesertim in gracili corpo-

* Comment. Tom. I. fol. 108.

† Rat. Med. Pars III. cap. i.

‡ De Vesic. cap. ii.

" ris habitu in calido et sicco temperamento *;" et Doctissimus Professor GREGORIUS rarius infantibus quam adultis hominibus contingere docet †.

Omnes quos supra comprehendimus effectus (iis tantum exceptis quae partem ipsam afficiant,) ab acrimonia quâdam subtili et urente in sanguinem resorptâ provenire, nemo sanus est, ni fallor, qui seriò negaret; praesertim si reputat quam simillimi sint effectibus Cantharidum per os in corpore sumptarum. Quod verò haec acrimonia, tam promptè et vehementer vesicam afficiens, ab illo discrepet principio, quod cutis vesiculas et ulcerationis efficit, experimentis et observationibus Galli THOUVENAL ‡, verisimillimum apparet. Ille chemicus solertissimus proprietatem quâ bullae concitantur ad materiam quandam ceream, viridiscentem retulit; acridum autem et volatile principium, distillando liberatum, partes urinae dicatas singulari illo modo afficere opinatus.

* De Vesic. cap. ii.
† Consp. Med. Theor. cap. xli.
‡ Annales de Chemie, Tom. XLVII.

Medici nonnulli et celebres, hanc Cantharidum absorptionem prorsus respuunt, et mingendi difficultates consensui alicui inter partes vexatas et cutum tribuerunt. Atqui nullum aliud vesicatorium idem praestat, etiam malum longè proclivius accidit, si spatium cui admovendae sint cantharides, abrasione aut vulnere cuticula fuerit privatum, atque sic expeditius particulas illarum subtiliores resorbere valuerit.

Quin etiam, hac absorptione concessâ, contendunt, omnia extranea in sanguinem accepta, neque corpori animali assimilata, iterum per excretionem quandam corpore exire; cantharides quidem hunc ad modum per urinae vias elici, neque praeter dolorem, a moleculis satis acribus, transeundo parietes earundem irritantibus, factum, quidquam in corpus universum moveri*. Profectò, et auctae vasorum actionis, et vehementis in toto genere nervoso irritationis efficaciam hujus medicaminis in partes ritè contemplando, rationem reddere poterimus; sed sitis

* Perceval's Essays, Vol. I.

indomabilis, subinde ex istiusmodi emplastro notata, quâcum febris pari passu haudquaqum ingravescere videtur, explicari nequit, nisi actionem ultra vesicam longè extendi credamus. Haec BAGLIVIO sic describitur,—"Nihil tam cito post "adhibita supervenit vesicatoria quam sitis cum "linguae ariditate, quae quandoque tanta est "praesertim in aegris adusti temperamenti et "mente non alienata, ut quibuslibet remediis "temperari vix possit praeterquam continuo a-"quae gargarismo; durat haec sitis ita vehemen-"ter per triduum circiter, prout scilicit citiùs "aut seriùs, parciùs vel uberiùs, acres cantha-"ridum sales a massa sanguinis fuerint separati, "deinde, sensim remittit*." BOERHAAVIUS scripsit, "Cantharides in se gerunt venenum spiri-"tuosissimum quod corpus humanum adeo mu-"tat, ut nil maneat intactum †." "Quis forsan "credit," ait FORSTEN, "earum vires, reliquis "corporis partibus intactis ad solas properare "renes vesicamque urinariam ‡." FRIEND Doc-

* De Vesic. cap. ii.

† De Morbis Nerv. fol. 211.

‡ De Vesic. fol. 141.

tissimus, "Inter externos limites, inque seri eva-
"cuatione consistere non videtur virtus canthari-
"dum, neque mirifica earum virtus explicari po-
"test nisi rationem eam qua non modo cutem
"sed et *sanguinem* afficiant, assequamur *."
Doct. Whytt etiam observavit ut vesicantium effectus, quo pulsum celerant non tantum dolori vel inflammatione quam partibus cient, ascribi debeat, sed quoque subtilioribus cantharidum particulis sanguinem ingressis et aptiorem ad cor et vasa ejus stimulanda praestantibus †. Inde vero satis verisimile videtur, salubres vesicantium effectus, ubicunque viris effoeti corporis excitandae sunt, provenisse quodammodò ex stimulatione vasorum per hasce particulas dum cum sanguine ipso corpus universum circumcursant.

Doct. Perceval his objecit, quod vasorum contractiones non semper, ut decet, vesicatoriis admotis citentur, quoniam multis et inflammationem habentibus morbis, praesertim pectoris,

* De Febribus, Com. IX.

† Phil. Trans. Vol. L.

inflammatio sedatur *. Quamvis verò cantharidum absorptarum stimulatio, quae ex parvula in fluentum circulans resumptâ copiâ, vehemens esse nequit, etiam sub gravi inflammatione exerceretur in cor et arterias, haec tamen stimulatio multo plusquam compensatur auxilio quod vesicantia partis inflammationi afferunt, a quâ vasorum sanguinem vehentium actio haec generalis nimia primitus dependet.

Vacuantibus Epispasticorum et stimulantibus effectibus omissis, alia neque levis momenti proprietas descriptum venit, qua, magna ex parte virtus earum in plurimis morbis sanandis constat; illa nimirum actionem mutatam excitandi partibus quibus injiciuntur. Hoc fit ex lege corporis animalis notissima; aliam actionem morbificam, licet jam praesentem, tolli saepe posse ab aliâ, sed diversâ superinducta. Huc referendus est, maxime forsan, eorum usus in partium quarumlibet inflammatione aut congestione; in actione demum abnormi seu vasorum seu musculorum.

* Essays, Vol. I.

Vesicantia ab antiquioribus viris saepissimè adhibita sunt spe quâdam *Revulsionis* : et quamvis hoc commentum utcunque ab illis ornatum, et cum eorum medicina intimè admodum intertextum, a recentioribus repudiatur, concedendum tamen aestimo, Emplastrum vesicatorium frequenter profuisse, humorum impetum aliò convertendo. Omnibus constat, irritatione ac inflammatione partis cujuslibet facta, eo insolitum sanguinis fluxum dirigi; cumque impetus speciales istiusmodi plurimis in partibus simul subsistere nequeant, haud improbabile videtur, ut vesicatorii applicatio contrariam actionem concitet, adeoque circuitus aequilibrium eversum quodammodo restaurando congestionem seu inflammationem, vel in parte remota, nonnihil levabit. Hac solâ ratione explicatur commodum ex vesicantibus per crura femoraque, in Pleuritide et Peripneumonia qualiter Huxham, Eques aur. Johannes Pringle aliique non mediocres Medici laudarunt.

Nunc usus hujus remedii in morbis quibus adhibetur praecipuis, considerabimus.

Febre. Quemadmodum in febribus continuis vesicatoriis utendum sit, diu multumque inter medicos disputatum; his utilissima auxilia, illis valde perniciosa eadem habentibus, prout haec vel illa Theoria morbi naturae, vel actionis remedii id temporis valeret. Notionibus autem talibus incertis exhibitio nimis saepe directa est, atque ut praevideri potuit, judicia, quod ad eorum utilitatem veram diversissima ferebantur; dum conditiones contrariae quibus imperatae sunt, paene vel penitus negligebantur. Hippocratis Æmuli quibus sententia erat, materiam aliquam morbosam sanguini inesse concoctione expellendam, vesicatoria nullo non morbi tempore commendabant, utpote qui modus optimus esset hancce coctionem fovendi. Qui Boerhaavium praeceptorem respiciebant febrem *lentore* sanguinis aut tenacitate constare credentes, Cantharidibusque virtutem humores dissolvendi imputantes, nullum remedium melius hanc tenacitatem diluere quam illas judicarunt; neque rarò sex eodem tempore ex iis Emplastra ad id apponebantur; unum scilicet capiti, pec-

tori unum, unum denique singulis ex quatuor membris, et hoc etiam quum febris ad summam excitationem et irritationem pervenisset. Curatione ita temeraria et perniciosa, vesicantium fama diu sustentari non potuit; deinde haud secus ac alia et utilissima remedia in neglectum deciderunt, quia adhibita sine rerum respectu quae administrationem temperasse omnino debuerunt; ideoque censurâ durâ nec satis discriminatâ a bonis saepe auctoribus notata sunt.

In Typho Simpliciore, nec congestione in parte aliqua stipato; vesicantium usus, ut remediun primis duobus morbi temporibus, omnino et optimè a medicinâ hodiernâ exulavit; quin et morbi stadio multo his posteriore, licet capiti, stimulandi gratiâ, subinde admoveantur, ubi vires corporis deficiunt, et homo ad stuporem proclivis fertur, dubium est an ullam virtutem possideant.

Typho quidem *inflammatorio*, nempe qui partem aliquam inflammatam habet, in secundo tempore, sub aucta incitatione, ubi motus vasorum generalis violenta, corporisque mobilitas

superans, vesicantium usus, si quid rectè de his rebus suprà conflavimus, insigni injuriae, et detrimento non esse non potest. Promptissima tum et efficacissima auxilia, sanguinis missio et purgatio, adhibenda; ut functionis et structurae non medicabilis perturbatio, parti praecipuè sub inflammatione et congestione minitans, arceatur. Quando autem his exinanitionibus factis; morbum manifestè mutavimus, quando vasorum actio violenta ferè sedatur, calor et irritatio morbosa minuuntur, vesicantia vicinis partium inflammatarum apposita, magnoperè proficere invenientur; raro quidem levaminis tam celeris quam perfecti spem fefellerunt.

Illa, scire licet, partis inflammatae exempla Typho complicata generalem exinanitionem minus patiuntur, quam quae febrem purè ex consensu habent. Prioribus, tempus excitationis, *collapsu* quem vocant, vel depressione, certissimè excipietur, quâ vires miserè prostratae facultates voluntariae valde depressae; quae omnia intendi, etiam fortasse ad Ægrotantis internecionem a sanguinis nimiâ detractione,

necesse est. Hanc ob causam saepe accidit ut sanguinis missio, vel quousque oportebat, agitari nequeat, quum Epispastica utpote locum morbosum deplentia, aut novam ei actionem conciliantia, auxilia fiunt pretii quidem vix aestimandi.

Ill. JOHANNES PRINGLE memoriae tradidit, se quondam solitum esse omnimorbo inflammationem habente Epispasticum admovere, postea verò his cohibuisse exemplis, in quibus capitis dolores, a sanguinis missione praeunte, levati non fuissent, vel homo tussi aliave pulmonum affectione laboraret *. Febribus annorum 1673, 74, 75, quibus "atrox capitis dolor," signum ex notabilioribus erat, aliis exinanitionibus praemissis, praecipue sanguinis missione "ea quan-" titate quae aegri viribus, aetati, aliisque cir-" cumstantiis convenire visa est," SYDENHAMO decretum fuit, magnum Emplastrum vesicatorium posterioribus Cervicibus adplicare †.

In Typhi delirio fit perutile requirere, quo-

* Dis. of the Army, p. 134.

† Opera, fol. 224.

niam vesicantium usus inde pendeat, an isthoc membranis cerebrove ipso proveniat; vel, ut saepius accidit, ab irritatione quâdam remotiore, sicut alvi faecibus onustae, quando aperientibus tantummodo removendum est. Quod ad casum priorem spectat, observationem utilissimam medenti tradidit Doct. WHYTT. Namque commodum ullum ab Epispasticis se percepisse negat, si cerebri substantia esset affecta, membranis intactis; seque rem ita se habere recte suspicatum esse, quandocunque sine dolore capitis, vel rubore tunicae adnatae oculorum, supervenerit delirium *.

Post exinanitiones generales febre institutas, manebit aliquando in parte affecta nonnihil congestionis, corde nimirum, arteriisque semet nimis imbecilliter contrahentibus; ubi cum stimulantibus internis, multum auxilii sperare licet ab Epispastici parti admoti stimulatione.

Subinde accidit ut febrientes, cubiculis nimis clausis detenti, vestimentisque superfluis obruti, suorum nimirum sollicitudine ne frigus colli-

* Phil. Trans. Vol. L.

gerent, tussi molesta pectorisque angore laborare reperiuntur; his victus refrigerans, Emplastrum pectori admotum, mala removebunt, sanguinisque missionem seu generalem seu specialem supervacuam efficient.

Typho inflammatorio, siquando exinanitio fuerit neglecta, eo morbi gradu quo vel profecisset vel fieri licuisset, si collapsus, ut dicitur, adpropinquat, aegrique vires gravi sanguinis in capite vel in Thorace congesti onere deprimuntur, tum Epispastica parti admota, erunt utilissima, praesertim cum sanguinis detractione speciali per hirudines, vel cucurbitulam conjuncta; praeter humorum enim fluxum quem inducunt, quique saepe non parcus exundat, vasa stimulo suo ut vehementiùs agant, incitant, quae sic cumulo, qui oppresserat, semet expediunt.

Quum autem sanguinis missio in Typho inutilis apparet, medicamenta quae alvum purgarent inepta, sanguinis caput versus impetus fit, cum dolore ejusdem pertinace, molestissimo aegrum ad extremum usque morbum pessimè vexante;

tempus hoc est quo vesicantibus vel maxime fidendum est.

Pleuritide, Peripneumonia. Pulmonibus vel Pleura inflammatis, largior et si opus sit, repetita sanguinis detractio, unicum est remedium quod morbi violentiam frangere valebit. Epispastica utcunque per se utilia, dum febris permanet generalis pericolosè usurpantur; quinetiam tempus ipsissimum cui idonea sint, prout exinanitiones praepositae profuerint, delegendum est. His signis sedatis, Emplastrum Epispasticum doloris loco imponendum, ejus effectus aliis post alia continuetur, donec dolor ullus, vel respirandi difficultas haeserit. Celsus, sanguinis missione laudata, prosequitur, "recte "etiam sinapi ex aceto super pectus imponitur, "donec ulcera pustulasque excitet, et tum me"dicamentum quod humorem illuc citet *." Inflammationibus levioribus, vix aut ne vix ulla febre stipante, emplastrum per se, nec ulla sanguinis missione juvante, morbum saepe levare valebit; quandoque etiam mali vehementia

* De Med. lib. iv.

hanc requirat, rariorem tamen celebrari efficiet. Johannes Pringle auctor est Pleuritidem protinus sub initio animadversam haud raro sanatam fuisse, unâ et largâ sanguinis missione, vesicatorioque deinde parti adfectae obducto. Quum vero malum vehementius alteram sanguinis detractionem postulare judicatur, utile erit emplastrum differre, utpote cujus irritatio, sanguinis missionem minus utilem efficiet *. Addidit vir idem Clarissimus, vesicantia non tantum Thoraci sed extremis quoque imposita Thoracem perinde sublevare, sputum expedire. Quod Huxham quoque tuetur, edocens, Epispastica cruribus femoribusque, caput pectusque adjuvare subinde reperiuntur, etiam aliis auxiliis nihil proficientibus †. In pulmonum vero inflammatione acuta, eadem quam proxime parti laboranti multo magis et certius proficient. Sed inflammatione parum acutâ, vel *subacutâ*, quibus hae partes saepe infestantur; praesertim sin aliquandiu duraverit, si sanguinis insolitus af-

* Dis. of the Army, p. 146.

† Essay on Fevers, p. 219.

fluxus ab imbecillitate vasorum simul et distentione factus fuerit consuetus; tum probabile videtur, irritationem contrariam in parte remotiore, mutato sic fluidorum cursu, commodi non nihil esse allaturum. Nonnunquam, ut in Peripneumonia Notha Senum, sanguis non tuto mittitur ad copiam necessariam, aut omnino prohibetur, tum vesicantia imprimis utilia fiunt. Ubicunque vero necesse est ut effectus perpetuetur, exulceratoria hujusmodi repetita et vicina, multo magis proficient, quam continua parte ulceratae per unguentum idoneum stimulatio.

Omnibus viscerum Abdominis Inflammationibus commodissimè aptantur. In acutis autem quasi remoranda sunt, donec morbus quodammodo infractus fuerit, effectusque a partis Inflammatione universi sublati fuerint, sanguine haud timidè detracto. Sic cautum erit ne vesicatorio quasi subagitante, excitatio generalis intendatur, istoque porrò morbi tempore exhibetur quo virtus ejus in partem efficacissimè exercetur.

Vesicatoria in *Nephritide* minus respondere

nonnuli objecerunt: laedere vero ex effectibus dolentibus, quos in urinae itinera inducunt; sed commoda in hoc perinde ac aliis Inflammationibus speranda, multo majoris momenti habenda sunt quam periculum quodvis absorptione nasciturum.

In *Febre Puerpera* vehementer laudantur, et quamvis effectus neque insignis neque stabilis semper appareat, Abdominis utique dolorem et tensionem utiliter sublevant, quin etiam collo superimposita, sincipitis tensionem auferunt somnumque arcessunt.

In *Rheumatismo* ubi morbus acutae naturae vicinior, uni ferè loco limitatur, vesicatoria bona fuisse dicuntur; praecipuè tamen prius admota, quam tumor sese ostenderit*.

Nihil certi de eorundum in *Apoplexia* usu expiscari potui. Auctores enim, utcunque clari, experientiam quisque propriam profitentes tam mirè, hac de re, sibi invicem pugnant, quod experientia, alioquin nobis facem praebere

* "In crudelissimo Rheumatismo nihil magis prodest, quam vesicatoria *inter Scapulas* superimposita."—HUXHAM.

solita, hic nil nisi tenebras et errores viam palpantibus ostendit. Causis Apoplexiae ritè perpensis, vesicantia satis inepta videri oportet; quinimo si usquam idonea, mediocris certè utilitatis tantummodo futura. Quum morbus sanguinis congestione in vasis Cerebri ortum trahat, quicquid ejusdem motum acceleraret, rupturam vel effusionem minitabitur; quumque mira ab omni tempore conspiratio cranii interni vasa inter et capilitii observatur, Epispasticum quo haec stimulantur, illa simul periculosissimè exagitare necesse est. Etiam post sanguinis tam ex toto corpore tam ex parte missionem, qua sola morbum solvi speramus Epispastica capilitio superimposita eo incommoda sunt, quod capiti refrigerantia adhiberi impediant, remedium profectò ingenii multo minus ambigui. Sin autem accessio diuturnior fuerit, magnum collo emplastrum forsitan prosit, irritationem causticam excitando, ideoque vasorum capitis congestionem levando. Hoc consilio quidem extremis membris adplicari praeceperunt; ubi etsi tenuem quidem profectum pres-

tarent, aliis tamen remediis frustratis, experiri conveniet. Serosa mali specie minus ancipites edidisse effectus ferunt; adeoque capiti, cervicibus, extremis membrorum partibus, ut laticem effusum resorberi cogant, admoventur.

Rarò parte cuivis resolutae manifestè opitulantur, si illum unum casum excipias quo *vesica* resolvitur, cum urinae incontinentia; ubi mira Cantharidum efficacia Ossi Sacro admotarum, (per cujus scilicet foramina transeunt nervi vesicam supeditantes), compluribus exemplis probatur in libro cui titulus.—"The London Medical Observations and Inquiries."

Apud clarum virum Perceval haec reperies, "In Gutta Serena, when it proceeds from a paralytic affection of the Retina, Blisters applied to the fore part of the head, so as to cover the nerves which issue through the supra orbital foramina, and spread themselves in the forehead, are highly serviceable, as I have more than once experienced *."

* Essays, Vol. I. p. 137.

Vesicatoria non nisi *Paralysi partiali* utilia erunt; ubi certis partibus dolor cohibetur, tum vero super originem vel tractum nervorum partem adeuntium collocentur; verbi gratia in brachio resoluta si inter vertebras colli et humerum obliquè, vel in brachio interno posita, probabile est ut sic utilius operentur.

Non defuerunt qui multis actionibus musculorum spasmodicis ac abnormibus haec usui commendârunt. Doct. WHYTT historiam habet qua musculorum abdominis distentiones magno emplastro his superjecto prorsus fugabantur *; atque illustris JOHANNES PRINGLE testatur in doloribus ventris fixis, spasmo, neque ulla inflammatione evidente productis, hoc remedium saepius respondisse. "In severe "and continued vomitings," PERCEVAL ait, "when the stomach is affected with very pain-"ful convulsive motions, I have observed the "most salutary effects from the application of "a vesicatory to the Epigastric region †."

* "On Nervous Disorders."

† Essays, Vol. I. p. 142.

Quum hujusmodi affectiones ab irritatione quadam nervorum provenire credantur, haec virtus cantharidum, qua spasmum solvunt, dolori et excitationi quas gignunt fortasse tribuatur; animi scilicet attentione huc conversa, sensuque illius irritationis quae actionem abnormen fecerat; obscurato: HIPPOCRATIS enim sententia est, "duobus doloribus obortis simul "in eodem loco, alter alterum obscurat:" Inde quoque videmus cur praecipuè utilia reperiuntur quoties morbus a consuetudine, sola continuatur malo primogenio jam diu quiescente.

Asthmate spasmodico, inter accessionem, nisi insolitò productam, Epispastica quoniam ut operentur spatium aliquod requiritur, fere inutilia; per intervallum profectò, eorundem series iterata ad Dorsum vel ad Pectus, ne accessio redeat, prohibebunt. Etiam extremis membris admoveri, quamvis inter recentiores homines potiùs obsoluerit, HOFFMANNO nihilominus aliisque praeclaris medicis usui commendatur: utcunque vero difficile sit *modi* quo operentur rationem reddere manifestam, utilitas fit valde pro-

babilis cum auxilium quod cruribus convulsarum puerperarum conciliat rite consideratur.

Omnia *Hydrocephali* acuti tempore et quacunque causa oriundi, remedium efficaciae insignis habita sunt. Variae et ineptae opiniones quas de causa illius proxima tuti sunt auctores, naturam ejus parum hactenus explicarunt; adeoque licet statum illum cerebri singularem unde omnia ejus mala profluant ignoremus, cum tamen variis morbi temporibus admodum variari necesse est, verisimile videtur illud remedium omnibus Hydrocephali temporibus aequè accommodari non posse. Morbo jam provectiori remedia omnigena frustrantur, quinimo si mutatio subinde tali tempore eveniat, arti utique non imputanda erit. Protinus tantùm sub initio medicorum solertia proderit; quo tempore, omnia quae praesidia videntur promptissimè adhiberi deberet. Signis vero non ambiguis motus vasorum praesertim capitis aucti, Hydrocephalum adventare nunciantibus, modo aegri conditio interim non vetet, sanguinis missio generalis indicatur. Sanguinis equidem detractio in talibus morbis vesicantibus semper (et necessario) prae-

mittenda est; hoc certè in morbo actionem insigniter promovere consuevit alius utilissimique remedii, nimirum Calomelanos. Post haec emplastra alia post alia sunt adhibenda toto capiti, indeque fluxus diutissime conservandus. Partem exulceratam unguento Hydrargyri cinereo nutrire praecipiunt. "In several cases," verba sunt Doct. CHEYNE, "I have witnessed a re-
"markable mitigation of the symptoms after
"the application of a blister *." Si Hydrocephalus oriatur a debilitate universa, veluti si quando morbo praegresso corpus fuerit exhaustum, aut a partis ipsius infirmitate, Epispastica simul cum purgantibus sola fere remedia habeantur, quibus fidere praecipue oportet. Doctor CARMICHAEL SMYTH cantharidi, praetulit nitratem argenti ad pulverem redactum, ac emplastro cuivis tenaci obductum, corioque forti ad coronae argenteae formam circumciso (sed oblongo) superinductum. Hoc apud suturae sagittalis et lambdoeidis occursum sic admovit, ut duodecimâ quâque horâ detraheret, donec

* Essays, Vol. II. p. 106.

ulcus, cute erosa, quantum sufficeret relinqueretur. Ita quidem si illi credas, et certiores et potentiores quam a vesicatoriis effectus assequeris *. Doct. Cheyne opinatur se vidisse hoc in morbo nonnihil commodi secutum emplastrum Hypochondrio superjectum; quum viam sterneret ac auxiliaretur catharticis medicamentis in hoc viscere, ut muneribus fungatur, restituendo †.

* On Hydrocephalus, p. 75.

† Essays, Vol. II. p. 98.

FINIS.